

1334-1334- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Lemovicam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis celebrati apud Lemovicam
 anno Domini · M° · CCC° · XXXIV° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In rubrica de officio beate virginis, quod fiat de ipsa officium in sabbatis omnibus ab octavis pasche usque ad diem ascensionis, exceptis illis casibus, in quibus alio tempore in sabbatis officium eius intermitte consuevit, ita tamen, quod tantum tres psalmi primi nocturni dicantur, et antiphona ad magnificat: Regina celi letare etc., et ad benedictus: Beata dei genitrix Maria, non mutentur.

Item. Quod in hymnis beate Marie virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina, adiungatur in fine immediate ante versum: gloria tibi domine, ille versus: Maria mater gracie etc.

Item. Quod fiat memoria de beato Dominico patre nostro, beato Petro martyre et beato Thoma confessore sub una antiphona, versiculo et collecta in vesperis et in laudibus. Et magister ordinis de hiis providebit.

Item. Quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones · xvi · kalendas iulii. Et magister ordinis de officio providebit.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: Nolumus tamen, quod hic, qui in capitulo precedenti electus fuerit, ad idem officium eligi valeat in anno diffinitorum proximo sequenti.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione priorum conventionalium, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis suscepereunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale cum eis fuerit dispensatum. Et hec habet tria capita.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Quia ordo noster de presidiis virginis gloriose singulariter confidit, devotis patrum vestigiis inherentes, volumus et ordinamus, pro tranquillo et sancto statu ordinis nostri, quod quandocunque fidelium in terminacione horarum officii in choro dicitur, statim post flexis genibus fratres omnes dicant: salve regina sine nota cum versu: Ora pro nobis etc., et versu: Esto nobis domine turris etc. dominus vobiscum, cum collecta: Protege domine, et: Ecclesie tue etc. et terminetur: Per Christum dominum nostrum Amen, nisi post completorium cum tunc salve regina cum nota dicatur.

Item. Cum exempla sanctorum patrum nostrorum ad meliora nos provocent, volumus et ordinamus, quod hoc anno in singulis provinciarum capitulis priores provinciales cum suis diffinitoribus fratres ad hoc ydoneos de suis provinciis deputent, qui miracula sanctorum patrum nostrorum, videlicet beatorum Dominici confessoris patris nostri, Petri martyris et Thome confessoris in suis provinciis facta et non habita communiter in ordine, necnon et vitas et miracula ceterorum fratrum nostri ordinis, qui nunc clarent et ab olim miraculis claruerunt, diligenter perquirant et conscribant et mittant ad sequens capitulum generale, ut de talibus conscribi valeat liber, qui ad fervorem devocationis fratres in eo legentes provocet et inflammet.

Item. Cum multe provincie officium sancti Thome doctoris, quod habetur in ordine communiter, in cantu grave reputent et in dictamine incompactum, volumus et ordinamus, quod provinciales in suis provinciis fratribus ad hoc aptis imponant, quod officium suum in cantu et dictamine de beato Thoma in predicto dictamine gratum et in cantu iuxta morem nostri ordinis ydoneum faciant et conscribant ac mittant per provinciales suos vel eorum socios ad sequens capitulum generale, ut ex illis possit provideri ordini de officio magis grato.

Item. Cum ex distractione librorum conventus et rerum sacrarie in multis conventibus per priores plurimos ad hoc nimis faciles ordo noster dampna plurima paciatur, omni distractione, qua possumus, inhibemus, ne predicta in conventu quocumque vendi vel impignorari vel quomodolibet aliter distrahi valeant, nisi de consensu maioris partis conventus, hoc eciam observato, quod omnis pecunia ex premissis habita in usus notorios et conventui necessarios et non aliter expendatur; adiuentes, quod mutuum quodcunque notabile non contrahatur ab aliquo priore, nisi de maioris partis sui conventus beneplacito et assensu; decernentes illud in hac materia esse notabile, quod fratres illius conventus consueti vocari ad consilia notabile iudicabunt.

Item. Cum ex eo quod in pluribus conventibus constituciones nostre non habentur integre et correcte, gravis exorbitacio fratribus et conventibus nostri ordinis non immerito immineat, omni distinctione, qua possumus, imponimus prioribus universis, quod singuli in suis conventibus omni negligencia super hoc postposita faciant, quod habeant constituciones integras et correctas. Imponentes prioribus provincialibus, quod taliter circa hoc invigilent, quod per eos sequens capitulum generale certificari valeat, quod predicta sint execucioni debite demandata. Imponentes insuper eisdem prioribus provincialibus, quod per singulos conventus suarum provinciarum faciant fieri librum, in quo ordinaciones omnes et precepta singulorum generalium et provincialium capitulorum sue provincie integraliter conscribantur.

Item. Cum ex excessiva et nimis facil concessione litterarum de beneficiis ordinis res tam preciosa cum minori reverencia et devocione a devotis nostri ordinis admittatur, volumus et ordinamus, quod amodo nullus prior provincialis tales litteras concedat, nisi solum in suo provinciali capitulo et pro personis condicionis et status multum honestis, et que persone hoc ipsum cum magna devocione pecierint, et in suis capitulis provincialibus

fratres arcent eciam per precepta, ne aliter huiusmodi litteras audeant impetrare, nisi forsan pro persona multum excellentis condicionis provincialis aliquando et raro fiendum aliter iudicaret; rogantes reverendum patrem magistrum ordinis, ut hoc ipsum velit de suis litteris observare.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis ac prioribus conventionalibus, quod singuli in suis provinciis et conventibus fratres, per preceptum, si necesse fuerit, compellant portare habitum in brevitate capparum ac capuciorum ac latitudine manicarum conformem nostri ordini institutis; necnon quod tam priores quam ceteros fratres cum omni exacta diligencia ad communem refectorii sequelam reducant; trituras omnes carnium, que non sine gravi ordinis scandalio fiunt, resecent et esum carnium nonnisi debilibus et infirmis notabiliter concedi permittant; super quibus omnibus conscientias priorum provincialium, quanto amplius possumus, oneramus.

Item. Volumus et mandamus, quod omni anno in singulis conventibus inter pascha et pentecostes priores de suis supprioribus scrutinium faciant et in retinendo vel absolvendo maiorem partem votorum fratrum infra quindenam a recepcione scrutinii indefectibiliter exequantur.

Item. Denunciamus fratibus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad curiam Romanam sine sua licencia speciali et sentencia excommunicacionis per eum lata super hoc durant continue modo et forma, quibus in actis precedentis capituli continetur¹. Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater quocumque modo, verbo vel scripto se de placitis seu negotiis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventionali, communicato super hoc plurimum fratrum discretorum consilio, aliud videretur; nullusque, cuiuscumque condicionis aut status aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negotiis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula veniendum, qui non sunt de corpore capituli, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad capitulum generale absque licencia magistri ordinis vel ad capitulum provinciale absque sui prioris provincialis licencia venerit, seu de conventu suo cum intencione accedendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non valeat nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulo provincialium privati voce publice nuncientur. Imponentes diffinitoribus ac sociis eorumdem, quod litteras omnium fratrum suarum provincialium scribere volencium capitulo generali vel magistro ordinis deferant et assignent.

Item. Omni districione, qua possumus, imponimus prioribus universis, supprioribus ac eorum vicariis, quod diffinitores anni presentis ac eorum socios redeuentes de capitulo generali benigne et caritative recipiant, procurent et pertractent, imponentes prioribus provincialibus, quod oppositum facientes a suis officiis in penam statim absolvant.

Denunciamus autem fratibus, quod sanctissimus pater et dominus dominus noster summus pontifex, dominus papa Iohannes · XXII · dispendiis et laboribus provincialium Grecie et Terre sancte compaciens privilegium ordini concessit, quod cum dictas provincias provincialibus carere contigerit, dicte provincie nullatenus provinciales eligant, sed ad magistrum ordinis et diffinitores capitulo generalis pertinebit eisdem provincialibus providere.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Lombardie inferioris, Theutonie, Grecie, Terre sancte. Item. Absolvimus priores conventionales: Marciaci, s. Aemiliani, Albensem, Morlanensem, Orthosiensem, Condomensem, Figiensem et Montis Albani. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus anno isto ad eadem officia nullatenus assumantur.

Denunciamus fratibus universis, quod frater Iohannes de Sezaro, prior Cesaraugustanus diffinitor pro provincia Aragonie mortuus est in via veniendo ad capitulo generale.

Instituimus et facimus priorem provincialm in provincia Grecie fratrem Franciscum de Tuscanella lectorem Florentinum de provincia Romana.

Item. Instituimus et facimus priorem provincialm Terre sancte fratrem Franciscum de Cipro, qui officium provincialatus tenebat in eadem provincia in precedenti capitulo generali.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia inferioris Lombardie fratrem Franciscum de Costaldis, priorem Vincentinum, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Iacobum de Vienna, conventus Viennensis, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Grecie fratrem Nicholaum de Plano Cariani priorem Nigropontensem, donec prior provincialis dicte provincie presens fuerit in eadem.

Concedimus provincie Polonie duas domos, unam ponendam in Sandomiria ad montem Cracoviensis diocesis, aliam ponendam in Bromberch, Caminensis diocesis.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Iohannem de Lovanio de provincia Francie².

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Iohannem de Meleemberch de provincia Saxonie³. Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis

¹ Cf. supra pag. 219 l. 8 sqq

² De fr. Iohanne de Lovanio cf. supra pag. 222 l. 7.

³ De fr. Iohanne de Meleemberch cf. DENIFLE l.c. pag. 412, 447; FINKE Römische Quartalschrift VIII pag. 372.

et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania more solito dicatur.

Sentencias iudicium approbamus.

Summa missarum pro vivis quinquaginta tres.

Summa missarum pro defunctis quatuordecim.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos penitenciales et quilibet conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Londonensi provincie Anglie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem aliis, eciam si licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante · vi · feriam festum pentecosten immediate precedentem.

Explicant acta capituli generalis apud Lemovicam celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXII.